

Antiquis temporibus erat in insula Creta horrendum monstrum, Minotaurus nomine. **Monstrum habebat caput tauri in humano corpore atque in Labyrintho habitabat.**

Labyrinthus erat magnificum aedificium unde homines exire nesciebant, nam multae viae flexae faciebant errorem. In Labyrintho rex Minos Minotaurum hominibus vivis alebat. Itaque Athenienses multos pueros multasque puellas quotannis in Cretam mittere debebant atque monstrum saevum omnes avide vorabat. **Minos, Cretae rex atque Minotauri pater, paucis annis antea magno bello Athenas vicerat.** Victor non solum magnam pecuniam, sed etiam multos obsides ab Atheniensibus quotannis flagitabat atque obsidibus Minotaurum alebat.

Sed Theseus, Athenarum regis filius, Minotaurum occidere constituit. Itaque cum obsidibus in Cretam pervenit. Cretae rex filiam pulchram quoque habebat, Ariadna nomine. Ariadna, magno amore Thesei capta, Theseum servare constituit. Itaque Theseo longum filum dedit ut certam viam ad portam Labyrinthi invenire posset. Theseus in Labyrinthum intravit atque Minotaurum post longam pugnam gladio occidit. Deinde auxilio fili ad portam Labyrinthi facile per venit atque e Labyrintho evasit. Ita Athenienses obsides a saevitia monstri liberavit. Ariadna cum Theseo e Creta, patria sua, evasit, sed Theseus nocte in insula Naxo Ariadnam reliquit atque in patriam suam navigavit. Mane Ariadna, e somno excitata,

Theseum in litore frustra quaesivit, multisque cum lacrimis frustra vocabat, dum capillos vestemque scindebat maesta atque magna aegritudine afflicta. Tunc Bacchus deus in insulam Naxum venit atque Ariadnam a solitudine ac periculis liberavit. Postquam Theseus Ariadnam in litore deseruit ad patriam vento secundo laetus navigabat.

Aegeus, Thesei pater Athenarumque rex, de altis saxis in mare prospiciebat, nam filium suum anxius opperiebatur. Iam Theseus patriae suae litoribus appropinquabat, cum pater Aegeus atra vela navigii conspexit. Theseus enim non mutaverat atra vela candidis velis ut victoriam nuntiarent. Itaque Aegeus pater mortem filii ex atro colore velorum putavit atque dolore amens statim de alto saxo in mare se proiecit. Ex eo tempore Graeci mare, ubi Aegeus mortem invenit, "mare Aegeum" nominaverunt. **Post Aegei mortem, Theseus rex Athenarum fuit multosque per annos magna sapientia patriam suam rexit.**